

aves, quarum vita est Deo vicinior. Non au-
tem scriptum est: propè est Dominus excelsis
hominibus, aut ijs qui in montibus habitant, sed
contritis corde. In hac significatione dicuntur
caeli in scriptura non manufacti; sicut vice ver-
sâ, caeli manufacti dicuntur ij qui creati, ut
Psalms. 102, 26. &c. Hebr. 1, 10. Opera manuum
tuarum sunt caeli. At 2. Cor. 5, 1. dicitur, Aedifi-
cationem ex Deo habemus, domicilium non
manufactum, æternum in caelis. Sic Act. 7, 47.
Excelsissimus ille non in manufactis templis ha-
bitat. Hebr. 9, 11. dicitur Christus ingressus semel
in sancta per tabernaculum non manufactum,
&c. Et v. 24. Non in manufacta sancta ingres-
sus est Christus, sed in ipsum caelum, &c.

Porro caeli hujus quatuor faciunt distin-
ctiones. 1. Gratiae universalis seu potentiae, quâ
Deus universaliter totum mundum gubernat.
2. Gratiae specialis apud fideles in Ecclesiâ mi-
litante: nam Sion vel Ecclesia sæpè nominatur
Dei habitatio. 3. Gloriam apud Electos. 4. Iustitiam
& iram apud damnatos. Fundamenta hujus di-
stinctionis petuntur ex Ier. 32. Sap. 1, 7. Matth.
18, 20. Ioban. 14, 3. & 17, 24. Psal. 139, 7. &
seq Iob. 1, v 13. 1. Reg. 8.

Hactenus de caeli significatis; in quibus Theo-
logica